

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Maria o  
cum fontibus proximo et primis

Aue Maria, gracia plena Dominus tecum  
et cetera.

Talibus namque decebat uirginem oppignerare muneribus,  
ut esset gracia plena,  
que dedit celis gloriam, terris Deum  
pacemque refudit,  
fidem gentibus, finem uiciis, uite ordinem,  
moribus disciplinam.

Ieronymus in sermone de assumptione.

Praeterea qualis et quanta esset,  
ab eodem diuinitus declaratur, cum ait:  
*Aue Maria, gracia plena, dominus tecum,*  
*benedicta tu in mulieribus.*

Talibus namque decebat uirginem oppignerari muneribus,  
ut esset gracia plena,  
quae dedit caelis gloriam, terris Deum  
pacemque refudit,  
fidem gentibus, finem uitiis, uitae ordinem,  
moribus disciplinam.

Paschasius Radbertus, *De assumptione sanctae Mariae uirginis*, 5.26 (CCCM 56C, A. Ripberger ed., p.120, ll.213-218).

Haue, gracia plena.

Haec est gracia,  
quae dedit caelis gloriam, terris deum,

fidem gentibus, finem uitiis, uitae ordinem,  
moribus disciplinam.

Petrus Chrysologus, *Collectio sermonum*, 143.4 (CCSL 24A, A. Olivari ed., pp.872-3, ll.37-39).